

II. Observatum est, si tubulus dicta ratione inversus, non mercurio alii, sed aquæ stagnanti immergatur, tunc orificio subter aquas recluso, mercurium ex tubulo omnem delabi, sed in ejus locum aquam sponte suâ ad tubuli summitatem usque ascendere, & quidem cum vehementia & impulsu eo, qui incauto tubulum manibus ejicere posset. Ex quo utroque Phænomeno

III. Ipsis oculis patuit, locum à mercurio delabente relictum ab omni aëre vacuum esse, quia ex nulla parte introire valuit, & si quis inibi fuisset, is aquæ ascensum, saltem ad summum usque prohibuisset; prout, in tentamine primo, Campanæ Urinatoriæ Phænomena satis demonstrarunt.

IV. Tubulus aquâ sic repletus, etsi protraheretur in apertum aërem, per orificium inferum, apertum licet ac desuper spectans, ne guttulam quidem emisit, etiamsi fortiter commotus, sed suspensam tenuit, & in aëre quasi natantem.

V. Postquam tubo paulum ampliori immissum esset vasculum B C D argento vivo plenum, & huic tubulus angustior A E B utrinque apertus, & longitudine suâ super ampliorem prominens, ampliorque ille postmodum affusâ super stagnantem mercurium in vasculo aquâ paulatim adimpletus; visus est is idem mercurius per angustiore tubulum tantò magis ascendere ad E, quanto altior esset aquæ superficies supra mercurii in vasculo superficiem: adeò ut sub aquæ profunditate 40. circiter dig. mercurius elevatus spectaretur ad 3. præterpropter digitos. (Vid. Fig. XVI.)

VI. Adhibito tubulo, ad faciendum experimentum Baroscopii, 27. digitis brevior

